Ill^mo^ mio.

[illegible]

Deprehendere quod suspicaris ex iis litteris, quas pro humanitate tua quotidie ad me scribis, parum verè statuis, Affinis optime; parum æquè quoad publicos Tabelliones, et innocentes item pueros, qui dispositis equis ultro citroq commeant, neq fallaci operâ ni fallor ipse, commercio nostro illudunt. Sed silere nimirum aliquando cogor, muneris mei negotiis, quæ non æquali impetu in me incurrunt, variè distractus; nonnunquam ~~audeo~~ audeo; ubi res non maximi momenti moram ferre videntur; aut silentium, sine cuiusquam detrimento. Fortasse me nescieba[s] tibi tam familiarem esse: sed culpam, si quæ est, benevolentiæ tuæ adscribendam puta; et deniq, duos Affines inter, non dedecere, pro re nata, vel alterutrius commodo, piscem vel picam agere. De Bove, nihil nisi molesto vobis animali: nihil ultra audeo, postquam inter mulieres decretum est, cuius vulturis hoc erit cadaver. Et nec de operis quidem ultra quicquam: facis enim ut mandatorum subinde nos pudeat, qui tantâ sedulitate rei alienæ incumbis. Adde quod ipsa anni tempestas manum de tegula vocat: neq fere spes est coronicem, quod valde optaveram, et frontispicium confici ante Brumam: postremam in Tympano, ut cætera omittam, nescio quæ rerum ~~vanitas~~ vanitas scalpello exhibenda superest, quam segnior ille Lapicida omni lapide, toto bimestri non absolvet. Deinde quod ad Coronicem, de qua dicebam, prætexitur, nescio an verè magis an ingeniosè, plumbum, quo materiam tegi necesse est, ipsarum operarum, inter quos aliqui non opulentissimi mortalium sunt, furto nec manifesto man[u]

expositum iri, si ante hyemem et clausas ædes imponatur. Scribo tamen ad ipsum Gerardium aliquid. Super his omnibus tu si cessantem sine fide generali verbo stimules, ut nimirum mandatis meis non suâ sedulitate obtemperet, non erit quod amplius abs te exigam, sed abunde, ut hactenus, quo me tibi devinctissimum profitear. Vale vir Amicissime cum uxorcula, liberis et amicis et me ama. Scribo hæc Zuylestemii, quo heri cum Dña perpaucis familiaribus excurrit. Sed negotia certè et illam, quæ post equitem sedet atra, ocyor Euris, non effugit. Adeo inter has aeris temperantes etiam perpetuo tetro nimbo undique obruimur: quibus cum solus sufficere debeam, facile agnoscis, quam non grandi otio sermones tecum faciam. [illegible] ipsa Idus [illegible] CIƆIƆCXXXV. [illegible]